

codice, nec *colorem* vel in Ambrosiano vel in *D*, qui *colorem* habet ut *C*, sed in uno *B* et a secunda tantum manu in *D*: unde Italus corrector effecit, quod veteres editores propagarunt, *color est*. Quid multa? scriptum fuit *colere*: atque elegantissimo genere loquendi dicitur *artem et disciplinam colere*. Ita autem quoniam *obtinere* verbum constructionis ratio respuit, in hoc necesse est aliquid naevi lateat. Quod quale sit, illico perspexeris ubi illud reputaveris, parum causae Periplecomeno esse cur *quemadmodum* quaerat, si Palaestrionis sententiam satis profecto planis verbis illis declaratam perceperit: *ne quoquam de ingenio muliebri degrediatur*: nec planis tantum, sed eisdem p[ro]ae illis ipsis quae subiunguntur languidissimis. Etenim dubitari nequit, si quem usum et Plauti habemus et librariorum, quin pinguissimum interpretamentum in verba poetae irrepserit, idque tale: *profecto ut ne quoquam de ingenio mulierum degrediatur earumque . . . , una constructione ut assolet conglutinata scriptoris et interpretis oratione*. Superest ut, quae verba Plautina immisso *earumque* glossemate expulsa sint, indagetur. Cum autem poetae verbis *artem et disciplinam . . . colere* respondeat haec pars interpretationis *de ingenio degrediatur muliebri*: consequens est ut, quae reicta pars est *profecto ut ne quoquam*, interpretatio sit deperditi versus principii. Sic igitur, nisi omnia fallunt, scripsit poeta:

Ne hercle usquam artem et disciplinam abstineat
colere. PE. quemadmodum?

Nam *abstinere* infinitivo etiam C[on]c[on]il. I 3, 24 iunxit: *mi abstineant inuidere.*?

‘Accidit aliquoties ut etiam in antiquissimos libros glossemata irrepserint, quae criticae artis ratio et disciplina investiget: longe longeque saepius factum est contrarium, ut a minus antiquorum interpolationibus liberi sint antiquiores. Quare quo quis codex antiquior est, eo maiorem fidem habere in eis partibus solet quas omittit. Eam ratiocinationem cum in illum versum accommodamus, quem cum Palatini exhibeant, ignoret Ambrosianus:

Domi habet animum falsilocum, falsificum, falsiurium:
etsi non negamus fingi potuisse *falsificus* adiectivum, tamen